

Ecclesiae commoveret autoritas. » Atqui Ecclesia solemniter decreto in concilio Trid., sess. iv, cap. 1, declaravit editionem vulgatam authenticam, et ita de illa sola pronuntiavit, non de textibus hebraicis aut graecis, neque de quacumque alia versione. Ergo.

[Textus praefati decreti : « Eadem sacrosancta synodus, considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus quae circumferuntur sacrorum librorum, quoniam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit et declarat, ut haec ipsa vetus et vulgata editio quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur, et ut nemo illam rejicere quovis praetextu audeat vel praesumat. »

Ut textus sacer integer remaneat, eadem sancta synodus, eodem decreto, « decernit et statuit ut posthac sacra Scriptura, potissimum vero haec ipsa vetus et vulgata editio, quam emendatissime imprimatur, nullique liceat imprimere vel imprimi facere quosvis libros de rebus saceris sine nomine auctoris, neque illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati probatique fuerint ab Ordinario, sub poena anathematis et pecuniae in canone concilii novissimi Lateranensis apposita. ] »

*Petes* 5° in quibus Vulgata editio sit authentica : an in aliquibus tantum, et in quibus ?

*Resp.* Quidam sustinent esse authenticam in omnibus ; quia Trid., sess. iv, cap. 1, jubet sub anathemate omnes libros Scripturae, « cum omnibus suis partibus... , prout in veteri Vulgata editione habentur pro saceris et canonicis suscipi. »

Nec obstat quod in ea reperiantur adhuc quaedam menda ; haec enim, inquiunt, sunt exscriptorum vel typographorum, vel temere emendantium errata, quaeque ideo non sunt partes, sed vulnera Vulgatae editionis, et quae Ecclesia non probat, illam probando.

Alii, et ut videtur communius, volunt quod sit authentica in iis tantum quae pertinent ad fidem et mores, seu quod nihil confineat fidei aut bonis moribus repugnans, ex quo perniciosus error natus sit sequi.

Rationes sunt : 1° Quia Trid. citatum, postquam declaravit Vulgatam authenticam, jubet ut post hoc emendatissime imprimatur. Ergo supponit in ea esse vitia et menda. Et post correctionem Sixti V et Clementis VIII adhuc in ea reperiuntur errata, ut aperte innuit Clemens VIII, in diplomate suae editioni praefixo, dicens in hac Vulgata editione visa esse nonnulla mutanda, quae consulto mutata non sunt, idque communiter agnoscunt eruditi. 2° Quia Andreae Vega, qui concilio Tridentino interfuit, lib. V de *Justific.*, c. 9, dicit quod concilium « eatenus voluit eam authenticam haberi, ut certum omnibus esset, nullo eam foedatam errore ex quo perniciosum aliquod dogma in fide et moribus colligi posset, atque ideo adiecit : « Ne quis illam quovis praetextu rejicere auderet. » Et addit quod cardinalis S. Crucis, qui illi sessioni praefuit, pluries ipsi testatus fuerit, « nihil amplius Patres voluisse firmare. »

Intelligunt autem pertinere ad fidem et mores ea omnia quae spectant mysteria religionis nostrae, et consilia divinae voluntatis, quae juvant fidem et religionem, pietatem alunt et mores informant ; non autem pertinere ad fidem et mores quaedam nomina locorum, urbium, fluminum, plantarum et similia.

Quantum ad decretum Tridentini, illud intelligunt de partibus insignioribus.

*Petes* 6° utrum liceat legere Scripturam sacram in lingua vulgari.

*Resp.* 1° lectionem Scripturae sacrae in lingua vulgari non esse absolute prohibitam ; quia nulla est in Ecclesia lex qua absolute prohibeatur.

*Resp.* 2°. Non est tamen omnibus promiscue licitum, stante lege, Scripturam sacram legere in lingua vulgari, sed iis solum quibus id concessum est ab episcopis et in-

quisitoribus, vel a suis praelatis, si agatur de Regularibus. Ita Regula IV Indicis concilii Trid., quam Pius IV, bulla *Dominici gregis* data anno 1564, et Clemens VIII, bulla *Sacrosanctum*, 1593, præfixis huic Indici, observari mandarunt.

Dixi, « stante lege, » quia in pluribus locis consuetudo contraria legi derogavit, et in quibusdam penitus eam abrogavit.

[Lectio sacræ Scripturæ in lingua vulgari non fit licita nisi sub conditionibus in præfata Regula IV Indicis statutis, ubi legitur : « Cum experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti quam utilitatis oriri, hæc in parte iudicio episcopi aut Inquisitoris stetur, ut cum consilio parochi vel confessarii bibliorum a catholicis authoribus versorum lectionem in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex huiusmodi lectione, non damnum, sed fidei atque pietatis augmentum capere posse; quam facultatem in scriptis habeant.

» Qui autem absque tali facultate ea legere seu habere præsumpserit, nisi prius Bibliis Ordinario redditis, peccatorum absolutionem percipere non possint.

» Bibliopolæ vero qui prædictam facultatem non habenti Biblia idiomate vulgari conscripta vendiderint, vel alio quovis modo concesserint, librorum pretium in usus pios ab episcopo convertendum amittant, aliisque pœnis, pro delicti qualitate, ejusdem episcopi arbitrio, subjaçant.

» Regulares vero non nisi facultate a praelatis suis habita ea legere aut emere possint. »

Si prædictæ præscriptiones jam non possint omnino executioni mandari, præcipue quoad pœnas, satagendum est ut bibliopolæ et lectores catholici legem Ecclesiæ in hac gravi materia cognoscant et observent.

+ Cum vero lectio versionum vernacularum periculosa

fieri possit multis qui loca obscura non satis intelligere valent, earum evulgatio a sancta Sede vel episcopis non permittitur, nisi notulæ addantur, quibus difficultates enodentur.

Statuit concilium Trident., in præfato decreto *de editione et usu sacrorum librorum* : « Nulli liceat imprimere vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris, sine nomine authoris, neque illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati probatique fuerint ab Ordinario, sub pœna anathematis et pecuniæ in canone concilii novissimi Lateranensis apposita. » In constit. *Apostolicæ Sedis*, non renovata pœna pecuniaria, declaratur anathemati « illos tantum subjacere, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt aut imprimi faciunt. » S. Officium, die 22 decembris 1880, decrevit, « censuram nemini reservatam infligendam esse ad libros sacrarum Scripturarum, necnon ad earumdem adnotationes quascumque de rebus sacris in genere, id est ad religionem pertinentibus, tractantes. » — Hæc uberius explicabuntur in tractatu *de Censuris*.

Modum autem procedendi in approbandis hisce versionibus determinatum est a concilio Tridentino, *ibid.*, his verbis : « Ipsa vero huiusmodi librorum probatio in scriptis detur, atque ideo in fronte libri, vel scripti, vel impressi authentice appareat, idque totum, hoc est et probatio et examen, gratis fiat, ut probanda probentur, et reprobentur improbanda. »

Notandum est quod, ex instructione Clementis VIII Regulis Indicis addita, *de impressione librorum*, § 1, si sit justa causa nomen authoris tacendi, describendum est nomen illius qui librum examinaverit atque approbaverit.]

## ARTICULUS III

*De Scripturæ sacræ sensibus.*

*Petes* 1<sup>o</sup> quotuplex sit sensus Scripturæ sacræ.

*Resp.* 1<sup>o</sup> esse duplicem in genere, scilicet litteralem, qui etiam dicitur historicus, et mysticum seu spirituale<sup>1</sup>: quia, cum Deus sit author Scripturæ sacræ, et possit non solum voces accommodare ad significandum, sed etiam res ipsas, prima significatio, qua voces significant res, pertinet ad sensum litteralem; significatio vero qua res significatæ per voces iterum res alias significant, est sensus spiritualis seu mysticus, qui super litteralem fundatur. Sic hæc vox *mana* significat litteraliter cibum levem; iste autem cibus levis significat mystice Eucharistiam.

2<sup>o</sup> Duplex est sensus litteralis, unus proprius et grammaticalis, alter improprius et metaphoricus. Sensus proprius et grammaticalis est is quem verba ex sua primaria significatione significant: sic leo proprie et grammaticaliter significat animal rugibile. Improprius et metaphoricus est, dum verba ad impropriam significationem transferuntur propter aliquam similitudinem: sic in hac propositione: *Vicit leo de tribu Juda*, leo significat improprie et metaphorice Christum.

3<sup>o</sup> Triplex est sensus spiritualis seu mysticus, scilicet allegoricus, moralis seu tropologicus et anagogicus: quia vel res significatæ per verba, significant aliquid aliud pertinens ad Ecclesiam militantem, et est sensus allegoricus, respondens fidei; vel significant aliquid pertinens ad mores, et est sensus moralis, respondens charitati; vel significant aliquid pertinens ad Ecclesiam triumphantem seu æternam beatitudinem, et est sensus anagogicus, respondens spei. Hi tres sensus cum litterali exprimentur his tritis versibus.

1. 1<sup>a</sup> p., q, 1, a, 10, o.

Littera gesta docet, quid credas allegoria,  
Moralis quid agas, quo tendas anagogia.

Inter alia sit exemplum hæc vox, *Jerusalem*. Juxta Hieronymum, in cap. xvi *Ezech.*, litteraliter significat urbem Palestinæ, allegorice significat Ecclesiam militantem, moraliter animam justi, anagogice Ecclesiam triumphantem.

[Præter hos sacræ Scripturæ sensus, alius apud theologos dicitur *accommodatitius*, cum verba ex intentione Spiritus sancti rem aliquam significantia, vel alicui personæ ab eodem applicata, ad aliam rem significandam accommodantur, vel alteri personæ applicantur, propter aliquam convenientiam. Hic sensus magis oratoribus sacris quam theologis est usitatus, quamquam ab Ecclesia ipsa etiam usurpetur, ut cum illud, *Eccli.*, XLIV, 17, de Noe encomium: *Inventus est perfectus, justus, et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio*, pluribus ex sanctis novi Testamenti applicatur in officio liturgico confessorum pontificum.]

*Petes* 2<sup>o</sup> utrum omnis textus Scripturæ habeat sensum litteralem.

*Resp.* affirmative<sup>1</sup>: alioquin careret omni sensu, cum spiritualis fundetur in litterali.

*Petes* 3<sup>o</sup> quis sensus sit potior: an litteralis, vel spiritualis?

*Resp.* Litteralem esse certiore. Etenim de illo certo constare potest, non de mystico, nisi dum a sacro scriptore asseritur, vel ab Ecclesia declaratur; sensus enim mystici quos proferunt SS. Patres non sunt nisi probabiles. Unde ex solo sensu litterali aut mystico per aliam Scripturam vel Ecclesiam asserto, deduci potest efficax argumentum.

Attamen sensus mysticus est nobilior, quia regulariter significat res præstantiores et principaliter intenditur a

1. Ibid.

Spiritu sancto. Sic narratione factorum in veteri Testamento, Christus principaliter intendebatur.

*Petes 4<sup>o</sup> utrum sensus Scripturæ sit obscurus.*

*Resp.* esse obscurum in multis locis. Est contra hæreticos. Patet ex ipsa Scriptura. S. Petrus, Epist. II, III, 16, loquens de Epistolis S. Pauli, dicit: *In quibus quædam sunt difficilia intellectu. Act.*, VIII, 30, Philippo interroganti Eunuchum, an intelligeret Isaiam quem legebat, respondet Eunuchus, 31: *Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? Luc.*, XXIV, 27, Christus discipulis euntibus in Emmaus Scripturas interpretatur. *Luc.*, XVIII, 31, Apostoli nihil horum intellexerunt quæ dicebat Christus, et plura alia.

Idem probant tot commentaria SS. Patrum et interpretum ad explicandam Scripturam, tot contentiones hæreticorum inter se de vero sensu Scripturæ; si enim sit apertus, ut volunt, cur non omnes conveniunt? cur aliter Lutherani, aliter Calvinistæ intelligunt?

*Petes 5<sup>o</sup> cujus sit judicare de vero sensu Scripturæ.*

*Resp.* 1<sup>o</sup>. Scriptura non potest de suo sensu judicare: 1<sup>o</sup> Quia, quando controvertitur de sensu Scripturæ, ipsa Scriptura et ejus sensus est objectum et materia controversiæ. Ergo non potest esse iudex; nemo enim unquam somniavit, rem controversam esse iudicem controversiæ. 2<sup>o</sup> Iudex in aliqua controversia debet partes litigantes audire, sententiam ab ipsis audiendam et excipiendam proferre, et posse illos compellere ad acquiescendum sententiæ, alias frustraneum esset iudicium. Atqui Scriptura hæc præstare non potest. Ergo. 3<sup>o</sup> Si Scriptura sit tam clara et aperta, ut sufficiat pro eruendo ejus vero sensu, ut prætendunt hæretici, quare ergo ipsi a tot annis disputant de vero sensu plurimorum textuum Scripturæ, inter alios de illo celebri: *Hoc est corpus meum?* Vel ergo non legunt Scripturam, vel sunt pertinaces contra agnitam veritatem.

*Resp.* 2<sup>o</sup>. Spiritus cujusque privatus non potest esse iudex de vero sensu Scripturæ: 1<sup>o</sup> Quia non habet autho-

ritatem compellendi partes ad acquiescendum suæ sententiæ. 2<sup>o</sup> Quia est varius in variis, incertus et sæpe sibi contrarius. Dicitur Lutherano hunc sensum esse verum, dicitur Calvinistæ contrarium; dicit Lutheranus se bonum habere spiritum, negat Calvinista: quis litem dirimet? 3<sup>o</sup> Nullus est aut fuit unquam hæreticus, qui non prætendat se bono spiritu duci. Si ergo cujusque privatus spiritus sit iudex de vero sensu Scripturæ, admittendæ sunt omnes hæreses ut veræ; nihil enim nisi verum a bono spiritu procedere potest.

[*Obj.* cum novatoribus plura Scripturæ testimonia, quorum sunt hæc præcipua: *Joann.*, VII, 17: *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognosceat de doctrina utrum ex Deo sit. Ibid.*, X, 27: *Oves meæ vocem meam audiunt...*, et *sequuntur me.* I *Joann.*, II, 27: *Non necesse habetis ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium. Ibid.*, V, 9 et 10: *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est... Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se. I Cor.*, II, 15: *Spiritualis judicat omnia, et ipse a nemine judicatur.*

*Resp.* 1<sup>o</sup> generatim, hæc et similia solum probare utrumque testimonium, scilicet externum et internum, conjungi debere. Parum enim prosunt verba exterius sonantia ei quem Spiritus sanctus intus non docet, ut Augustinus dicit, in *Epist. I Joann.*, tract. III, n. 13: « Videte magnum sacramentum, fratres. Sonus verborum nostrorum aures percutit. Magister intus est. Nolite putare quemquam aliquid discere ab homine. Admonere possumus per strepitum vocis nostræ: si non sit intus qui doceat, inanis fit strepitus noster. » Iterum, in *Joann. Evang. tract. XXVI*, n. 7: « Quid faciunt homines forinsecus annuntiantes? quid facio ego modo, cum loquor? Strepitum verborum ingero auribus vestris. Nisi ergo revelet ille qui intus est, quid dico, aut quid loquor? » Et sic pluribus in locis. Cum enim homo corpore et spiritu constet, ut ad fidem et per eam ad salutem perveniat, Christus

eum adminiculis necessariis, non tantum internis, sed etiam externis munivit, ita ut tum autoritate exterius loquente, tum gratia interius illuminante, veritatem perciperet; quod exprimitur ab Apostolo dicente, *Rom.*, x, 17: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*. Ergo veritas quaerenda est ab illis quos doctores et praecipuos nobis reliquit.

*Resp.* 2<sup>o</sup> singulatim ad objecta loca. Verborum Christi *Joann.*, vii, 17, sensus est, quod certa inveniendae veritatis via sit sincera voluntas cognoscendi et observandi Dei mandata. Prævus enim animi affectus iudicium hominis ita corrumpit, ut verba Dei non solum non intelligat, sed ne aure quidem excipiat, neque autoritate loquentis commoveatur, licet miraculis et omnis generis testimoniis sit comprobata, ut patet ex hæreticorum et pravorum hominum in repellenda veritate pertinacia. — Si Christus dicat, *ibid.*, x, 27, de ovibus suis, quod vocem ejus audiant, et alienum non sequantur, ex hoc autoritas Ecclesiae non impugnatur; nam illi certe alieni non sunt qui, non suas, sed Christi oves pascunt, easque non ad aliena, sed ad Christi pascua ducunt. — In textu sequenti, *I Joann.*, ii, 27, Joannes talia verba non dirigit ad imperitos, sed ad doctos, imprimisque ad magistros Ecclesiae, eosque hortatur ut in fide stabiles permaneant, quam a Spiritu sancto moti et illustrati læto corde susceperunt. Sic et alter locus Joannis et allatum Apostoli testimonium, aliaque quæ afferri possent, interpretanda sunt. Agitur enim in iis locis de interna animi dispositione, quæ utique necessaria est ut veritas in corde radices agat, et fructus afferat bonorum operum.]

*Resp.* 3<sup>o</sup>. Iudex de vero sensu Scripturæ est Ecclesia; quia, ut infra probabimus, est infallibilis tam in proponendis Scripturis canonicis, quam in iudicando de vero earum sensu. De hac responsione fusius dissert. subsequenti.

*Potes* 6<sup>o</sup> an non sint quædam regulæ ad dignoscendum sensum litteralem Scripturæ.

*Resp.* communiter assignari sequentes: Prima. Sensus quem verba in propria significatione accepta important, si non sit absurdus, nec dogmatibus fidei aut morum honestati repugnans, est sensus litteralis. Colligitur ex Augustino, lib. III *Doctrinæ christ.*, cap. 10, et ex lib. VIII *de Genesi ad litt.*, cap. 7.

Secunda. Sensus litteralis est quem Ecclesia vel unanimes Patrum consensus habet pro litterali. Ex concil. Trid., sess. iv, *Decret. de edit. et usu sacror. libror.*

[Hanc regulam innovavit et explicavit concilium Vaticanum, constit. *Dei Filius*, cap. 2, *de Revelatione*: « Quoniam vero quæ sancta Tridentina synodus de interpretatione divinæ Scripturæ ad coercenda petulantia ingenia salubriter decrevit, a quibusdam hominibus prave exponuntur, nos, idem decretum renovantes, hanc illius mentem esse declaramus, ut in rebus fidei et morum, ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium, is pro vero sensu sacre Scripturæ habendus sit, quem tenuit ac tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, atque ideo nemini licere contra hunc sensum, aut etiam contra unanimum consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari. »

Tertia regula ex prima orta. Toties in figurato sensu accipiendus est textus sacer, quoties juxta litteram intellectus, evidenter repugnaret fidei aut bonis moribus. Hanc regulam ponit Augustinus, lib. III *de Doctrina christ.*, cap. 11, n. 17: « Quidquid asperum et quasi sævum factu dictuque in sanctis Scripturis legitur ex persona Dei vel sanctorum ejus, ad cupiditatis regnum destruendum valet. Quod si perspicue sonat, non est ad aliud referendum, quasi figurate dictum sit. »

Quarta regula. Sensus spiritualis super litteram fundatur, eamque supponit. Ita omnes Patres et theologi. S. Greg. Magnus, lib. II *in Evang.*, hom. 40: « In verbis sacri eloqui, prius servanda est veritas historiarum, et postmodum requirenda spiritualis intelligentia allegoriarum. Tunc

namque allegoriæ fructus suaviter carpitur, cum prius per historiam in veritatis radice solidatur. »

Quinta regula. Omnes allegoriæ interpretationes a scriptoribus sacris propositæ, omnino acceptari debent, et absque temeritate rejici non possunt allegoriæ explanationes in Ecclesia receptæ, aut a Patribus propositæ tamquam ad Ecclesiæ traditionem pertinentes. Allegoriæ vero debent esse naturales, non vero coactæ.

Sexta regula. Semper standum est interpretationi quæ magis consonat textui Vulgatæ, quam solam authenticam declaravit Ecclesia, quamquam ex aliis versionibus loca obscura sæpe elucidari valeant et etiam debeant.

Aliæ regulæ a pluribus traditæ, in præcedentes recidunt.]

### DISSERTATIO III

## DE TRADITIONIBUS

### ARTICULUS I

*Quid, quotuplex sit traditio, et quantæ autoritatis?*

Traditio, ut sic, est doctrina ab uno alteri scripto vel voce communicata. Unde Apostolus, II *Thessal.*, II, 14 : *Tenete, inquit, traditiones quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam.* Specificè autem sumpta, prout distinguitur a Scriptura, est doctrina ab uno alteri viva voce communicata, et de illa hic agitur quatenus spectat fidem et mores fidelium. Unde

Dico 1º : Traditio definiri potest : « Doctrina ad fidem et mores christianos pertinens, viva voce a suo authore communicata. » Dicitur, « a suo authore, » quia non obstat traditioni, si semel a suo authore sola voce communicata, postea ab aliis scripto mandetur. Hujusmodi sunt baptismus parvulorum, perpetua virginitas B. Mariæ, jejuni-um

quadragesimale, celebratio festorum Paschæ et Pentecostes, et plura alia.

Dico 2º : Traditio ex parte originis dividitur in divinam, apostolicam et ecclesiasticam. Divina est quæ a Deo Patriarchis, vel a Christo discipulis, vel ab ipsis Apostolis, Spiritu sancto dictante, viva voce ad posteros communicata est. Apostolica est quam Apostoli autoritate apostolica, tamquam Ecclesiæ præfecti, instituerunt. Ecclesiastica est quam concilia, aut summi Pontifices, aut SS. Patres introduxerunt.

[Ratione materiæ, traditio dividitur in dogmaticam et moralem seu ritualem. Prior versatur circa dogmata, ut Patrem esse ingenitum, esse quatuor Evangelia et septem sacramenta, etc. Posterior spectat mores, ut observandum esse jejuni-um quadragesimale, celebrandum festum Paschæ, etc.]

Ratione temporis, dividitur in temporalem, quæ ad tempus tantum fuit instituta, ut est abstinentia a sanguine et suffocato, trina immersio in baptismo; et in perpetuam, quæ instituta est ut perpetuo duratura, sicut baptismus parvulorum, validitas baptismi ab hæreticis collati.

Ratione modi quo propagatur traditio, dividitur in scriptam, oralem et practicam; potest enim aliqua doctrina vel scripto ad alios transmitti, vel ore propagari, vel ipsa a patribus in filios derivari.]

Dico 3º : Traditio divina est infallibilis autoritatis et fidei regula : quia est verbum Dei, non minus quam Scriptura sacra; Scriptura sacra autem non est infallibilis autoritatis et fidei regula quia est scripta, sed quia est verbum Dei. Unde Trid., sess. IV, cap. 1, declarat se « pari affectu et reverentia suscipere ac venerari traditiones divinas, ac Scripturam sacram. » Ex quo colliges, ex traditione divina firmum et efficax posse formari argumentum, sicut ex Scriptura divina.